



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 3. Qualitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

Latitudo excurrit ab ostiis Tyræ fluuij vulgò *Dniester*, ad urbem *Memel*, versus Liuoniam, quæ amplitudo applicita maiori circulo, dat gradus 10 cum 40. minutis, igitur milliaria 640. leucas nostras 320. Germanicas 160. Russica *Versif* 869. circiter.

### §. 3. Qualitas.

REGIO hæc paulò frigidior, non tam quia in Boream declinat, siquidem *Abbauilla* est eiusdè cum *Cracouiâ* latitudinis, sed quia deurgit in Septentrionem, quod eius flumina omnia in *Codanum* euoluta innuunt. Quare superatis iugis *Carpathiis* Hungaria illicò lætior. Tota etiam syluestris, sed iam deiectis arboribus passim in campos feraces extenditur; fert & omnis generis fructuosas arbores, si oleam, & quæ neque nascuntur in *Belgicâ* excipias. Sal fossile ad *Cracouiam* celebratur in primis, & coctile in *Russiâ* ab igne, in *Podolia* etiam à Sole. Colligitur potissimum *Succinum* in *Prussiâ*. Quantum frumenti *Polonia* daret experta *Italia*, nos etiam præcipitante superiori sæculo vidimus. Pelles indidem preciosissimæ afferuntur, quibus & proceres suas vestes adornant. Quæ pascua in *Lithuanîâ*? quanta hîc copia piscium & venationis? Ex *Samogitiâ* quantum mellis, & ceræ veniat, *Bataui* satis mirari non possunt, quæ ex cauatis arboribus eruuntur.

### §. 4. Origo Polonorum.

SARMATÆ olim dicti postea *Slau*, & *Slauini*, ex suis sedibus bis exierunt, & primò in antiquas *Vandalorum* sedes irruerunt, vnde & *Vandali* dicti sunt, vt & *Venedi*, & *Vinidi*, immò & aliis nominibus, *Obotrite*, *Resi*, *Rani*, &c. permixti hi porrò *Slau* cum *Teutonibus* sub nomine *Vandalorum* in *Pannonias* primùm excurrerunt, vnde à *Gothis* deiecti, tandem in *Hispaniam* cõmigrarunt, & inde in *Africam*, vnde per *Belisarium* exterminati sunt; eorù tamen aliqua reliquæ in antiquas sedes remeasse creduntur. Vtrum autem pars eorù aliqua sub nomine *Polonorum* vixerit, est incompertum. Circa hæc tempora ex palude *Mæotide*, & fluuiio *Tanai* emerfit alia gens idiomate *Slauico* vtens, continensque *Roxolanos*, seu *Russos* & *Ruthenos*, qui cum *Volgaris*, seu *Volhiniis* coniuncti, primò *Tauricam Chersonesum* subierunt, atque